

12a

MOSAICA CREATIONIS HISTORIA

EX
TEXTU HEBRAEO LITERALITER EXPOSITA
CUM
ANIMADVERSIONIBUS
IN EXPLICATIONEM DESUPER EDITAM A RR. PP. CAPU-
CINIS IN GALLIA.

§. I.

Cogitanti mihi textum hebraeum priorum duorum Geneseos Capitum, quibus creati vniuersi historia continetur, curatius exponere, et publicae, quae pro muneris ratione subcunda est, disputationi subicere; opportune in manus venit lucubratio, eodem de argumento a quodam doctorum hominum linguas Orientales colentium coctu nuper edita in Gallia. Celebris haec et erudita societas, quae exemplo hactenus non audito coalui in familia Minorum Capucinarum* plurima inter alia, quae praeclare in S. Scripturam et Psalmos praesertim commentata est, edidit etiam gallice Explicationem priorum duorum Geneseos Capitum Tomo XVI^o. egregii operis, quod inscribere: *Principes discutes* insertam, paginas omnino 124. in 8. implentem. Labor hic literarius eundem mihi jam

A

antea

antea meditati, non poterat non esse gratissimus : atque cum alias propositum haberem, mea hac de re cogitata, et olim siue legendo siue audiendo percepta exponere; mutato nunc consilio constitui, diligens cum iis et accuratum, quod et Auctorum celebritati et argumenti grauitati debere me putabam, examen coniungere : feci id eo lubentius, quod oblata videretur occasio, simul et praeclaros eruditi huius collegii conatus, et linguarum Orientalium vsum insigni hoc exemplo nostris commendandi : qua in scriptione si homo germanus vtens idiomate peregrino gallicam ingenii elegantiam et scribendi facilitatem assecuturus non sum; faciam tamen, vt omnes intelligant, et presse me philosophari, et fortiter pedem figere, et, absit inuidia verbo, aliqua etiam non passim nota in medium protulisse.

* Notitiam memorabilis coetus huius suppeditant ipsimet venerabiles Auctores in libello, cui Titulus : *Memoire, dans lequel on propose vn Etablissement &c.* qui vna cum alio Tractatu gallico in Jobum prodiit Parisiis 1768. vno Tomo in 8. in calce Auctores nominantur RR. PP. Capucini in platea S. Honorati; libellum istum an. 1772 recensuit Illustis Michaelis in sua, quae germanice prodit, Biblioth. orient. part. II. pag. 104. Inter alia conquerantur optimi Patres, hoc studiorum genus in Galliis hodie neglectum jacere; etiam alibi malunt glandibus vesci!

§. II.

Triplici ratione diuersa, si quid video, in Mosaica Creationis Historia versari licet, totidemque etiam in ea tractanda modis praeclarissimos Auctores versatos esse inuenio; aut enim nudos eorum quae Moses refert, agimus Interpretes, narratorum sensum ex vi et proprietate sermonis sectantes vnice; quod aggressi equidem sunt infiniti commentatores; sed cum essent in physicis rudes, in linguis orientalibus hospites, pauci perfecere — Aut sobrie hac super re philosophamur, in operum a Mose descriptorum origines et causas ex Physicae legibus inquirentes, et ea simul omnia in vnum aliquod ordinatum systema complectentes; cuius rei specimen in explicanda Theoria Telluris post binos celebres Anglos Thomam Burnet *, & Wilhelmum Whiston dede-

dederunt plures Recentiores, quorum systemata recensentur ex *Busf-
fano* in praeclaro libro germanico : *Historia vniuersali Naturæ*, qui
Hamburgi & Lipsiae prodiit 1750. in 4. videantur etiam Auctores
Historiae vniuersalis ex Anglico in Germanicum idioma traductae: qui-
bus adde *Samuelem Pye* Medicum Anglum, recentissimum Auctorem
Dialogi : *Moses ande Bolingbroke*, et alterius scripti pariter Anglici :
Theoria Mosaica systematis solaris et planetarii — Aut demum cum *Mosis*
narratis vetustissimorum, quae nobis supersunt, *Sancboniatbonis*
Phoenicii, *Berosi Chaldaei*, *Manethonis Aegyptii* fragmenta a *Iosepho*
et *Eusebio* nobis seruata componimus : quo in argumento tentatum
aliquid a *Bocharto* in *Geographia sacra*, *Faksono* in *Antiquitatibus Cbro-
nologicis*, et, si recte memini, ex instituto tractatum a *Cumberlando*
Anglo, a nemine tamen ita perfectum, vt non grandi spicilegio lo-
cus sit super. Propositum mihi est, omne hoc argumenti genus ali-
quando excutere, nunc quidem prius cum RR. PP. Capucinis, cuius
alii in *Mosem* Dissertationi fundamenti loco praestruendum.

* Hic alia inter adseruit Terræ figuram ante diluuium fuisse perfecte oualem,
nullis montium et vallium hiaticis interruptam; verum hac ratione terra non fuisset
valde bona, contra ac dicit *Moses*. Librorum in §. laudatorum iacturam aegre
fero, *Bocharti* praepimis, quem mortalium doctissimum vocauit *Baelius* et ipse
doctissimus.

§. III.

Auctores igitur nostri cum paucis de argumenti grauitate, de scrip-
toris praestantia, de stili, quo utitur, simplicitate et Majestate, de
necessaria adeoque Interpretis accuratione opportune et pro more suo
eleganter praefati essent; obseruant inprimis, versiones, quae hacte-
nus prodierunt quamplurimae, cum magis de summa rei, tradenda
nimirum fidei doctrina, sollicitae essent, quam de reddenda verborum
vi et sermonis elegancia, quod minutius videbatur, naeuos quosdam
Mosi obduxisse, accuratiori versione facile abstergendos; haec in ver-
sionibus culpant — Notant deinde primaeuum et genuinum Textus

Mosaici ordinem turbatum, alterum plurium errorum fontem, octo praesertim posteriores cap. II. versus loco non suo positos, et ad cap. I. v. 27. retrahendos esse: qua versuum serie restituta, et majori in interpretando praecisione seruata, putant denique suam Mosaicae narrationi lucem et nexum restitutum iri. In duobus igitur versata est laudabilis RR PP. industria: primum quidem in restituendo primaeuo et genuino, ut ipsis videtur, textus Mosaici ordine; tum in suppedianda accuratiori verborum Interpretatione et intelligentia: quorum illud ad sacram Criticam *, hoc ad Exegesin recte retuleris: qua in re Nostri et naturae ordinem, et traditam a S. Augustino regulam sequuntur, dicente: *Codicibus emendandis primitus debet inuigilare solertia eorum, qui Scripturas diuinas nosse desiderant. l. 2. de doctr. Christ.*

* Sacrae huius Critices, quae in sistenda genuina textus lectione versatur vnice, magnus seculo superiore stator et vindex fuit Galliae decus R. P. *Richardus SIMON* presbyter Congregationis Oratorii in *Historia sua critica Vet. et Nov. Testam.* gallice conscripta, vtor ego edit. Amstelodam. de an. 1685 VI tom. in 4. constante. liber plane incomparabilis, dignus qui noscatur a nostris; imino qui legatur!

§. IV.

Quod seriem textus non eam nos hodie putent habere, quae ex manu Moysis accuratissimi scriptoris prodiit, et quam narrationis contextus manifeste requirit; sed factam iam primis temporibus descriptum vitio versuum aliquot transpositionem, iam jam obiter indicatum est, hic res vberius exponenda: Ita ergo Nostri omnem Textus seriem disponunt: cap. I. Genes. ab initio ad v. 27. communem legendi ordinem sequuntur; post haec vero verba v. 27. *et creauit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum*, mox subiungi volunt octo posteriores cap. II. versus, quos tum reliqua v. 27. verba excipiant: *masculum et feminam creauit eos*, quibus subiungunt, quae ex cap. I. supersunt; addentes suo capiti primo priores 4 versus ex cap. II.; suum vero caput 2dum ordiuntur a

v. 5. cap. II. et producant ad v. 10. cap. III. — Quod manente eodem versuum ordine capiti primo quaedam adjungant ex cap. II., et huic quaedam ex cap. III., nec exemplo caret, nec ratione; id vero singulare ipsis, quod octo versuum statuunt transpositionem.

§. V.

Quod factum ut probent, versiones, codices, Testes nullos producant: sciunt quippe et fatentur ultro, habere se omnes contrarios; argumentis vero agunt, quae vulgo critica vocant. Putant primum hanc versuum transpositionem cuius vel ex sola amborum capitulum lectione in oculos incurrere: *la simple lecture de ces deux chapitres suffise pour faire sentir evidemment la transposition*; ad quam magis palpabilem reddendam praemittunt duplicem operis sexto die formati analysin; alteram secundum versuum seriem a se restitutam; alteram communem legendi ordinem sequentes: hanc quod sit omnibus notissima, lubens praetermitto; illam deinceps etiam scitu necessariam breui exhibebo conspectu; ita vero Nostri: Animantibus et Adamo sexto die creatis, quod narrat Moses cap. I. v. 24-27. Deus consilium capit sociam dandi Adamo; cuius muneris magnitudinem ut magis intelligat Adam, adducit ad eum animantia; sed, quod Moses expresse notat, Adae non inueniebatur adiutor similis eius: quomobrem Deus profundo sopore Adae immisso, Euam de latere eius formatam ipsi sistit; qua visa Adam exclamare: *boc nunc os &c.* et a vehemente, quem erga Euam in corde sentiebat, motu stimulatus legem matrimonii omni deinceps aevo duraturam dictare: *relinquet homo &c.* subdit Moses: *non erubescabant*, (tamen) mas essent et femina; hanc enim particulam *tamen* subintelligi volunt, qua ratio reddatur insolentis illius facti, quod nudi non erubuerint; narrata tum Dei benedictione, praescriptis alimentis, Dei requie, et benedictione sabbathi, Moses pergens ad descriptionem Paradisi observat, id temporis, nec progerminasse ex arboribus ramos, nec herbas flore & semine carentes

res nutriendis homini et animantibus fuisse idoneas: qua praeuia observatione, ex eorum quidem sententia, Moses et rationem reddere voluit crea i parad si, et eius simul epocham figere, diem nempe quartum: hoc enim die gramen, herbas, et arbores constat progerminasse. Sed quare Moses post absolutam creationis narrationem, distinctam facit mentionem paradisi et hoc quidem loco? nimirum, inquiunt, ut praepararet lectorem ad lapsum proto- parentum, quem tum referunt modo a communi sententia nihil diuerso; addunt in rei confirmationem verba illa: *masculum et feminam creauit eos v. 27.* praepostere poni, cum nulla praecesserit creatae mulieris mentio, ob eandem etiam rationem reliqua eo non quadrare, quod Deus iis alloquatur et benedicat *duobus* cum haectenus *vnus* duntaxat, solius nempe Adami facta esset mentio; subiungi autem verba illa oportere v. 25. cap. II. tanquam rationem continentia, cur visum fuerit insolens, protoparentes nudos non erubuisse; concludunt denique: haud difficulter adparet naturalis, quae in analysi hac relucet, narratorum consequentia et nexus, versibus octo ita restitutis.

§. VI.

Sed multa sunt, quae contra vniuersam hanc textus enarrationem moneri possunt: inprimis enim, si res, ut aiunt, tam clara est, ut cuius attente legenti in oculos incurrat; mirari subit, quod nihil hic viderint *LXX.*, *Chaldaei*, *Hieron.* omnesque Interpretes; nihil infinita describentium, legentium, docentium turma; nihil perspicacissimus in criticis *Simonius*; nihil *Astrukius* adeo in Mose oculatus, ut variis eiusdem sectionibus varia adsignaret vetustiora monumenta, ex quibus tanquam fontibus eae essent desumptae in famoso libro Gallico: *Conjectures sur les Memoires &c.* Quid quod tantum abest, ut noua haec legendi ratio perspicua sit, ut vulgata potius versus saltem 27. a Christo Domino Matth. XIX. 4, 5. et ab ipso etiam Mose Genes. V. 1, 2. manifeste stabiliatur, utroque totidem verbis versum 27. cap. I. reci-



recitante; faceffant ergo omnes argutiae de importuna verborum eorum v. 27. pofitione! quidni enim Mofi dicere licebat, hominem marem et feminam, hoc eft cum duplici sexu creatum effe, priusquam vberior formatae feminae narratio praemiffa fuiffet? et hoc femel dicto quidni poterat Deus *duos* alloquens, *duobus* benedicens induci? quid hic quaefo absurdi? et quam infirma ratione colligitur, verba ifta fubjungenda effe verfu ultimo cap. II.? non ergo fola nuditas in Adamo et Eua erat fufficiens cauffa, cur Mofi infolens et animaduerrione dignum videretur, quod non erubuerint? quid opus erat hunc in finem geminum fexum commemorare, quem audito Adami et Euae nomine nemo lectorum non fupponebat? Quod poftremo de narratorum nexu dicunt, non equidem nego, hunc in ipforum hypothefi faluum manere; attamen dummodo prifcae etiam et conftanti lectioni fuus ordo et ratio conftet, ei inhaerendum effe contendo, tamenfi is etiam minus exquisitus et ad noftras fcribendi regulas minus videatur accommodatus: neque enim in vetufto quouis fcriptore, et praefertim Mofe, omnium quos habemus, vetuftiffimo, anxium et follicitum fcribendi genus et ordinem requirere debemus: hic quodam vetuftatis priuilegio quidam ordinis et ftili neglectus eft decor et nobilis antiquitatis aerugo: in Mofe fimplicitas ftili eft majestas ftili; oppido falluntur, qui alias artis dotes et elegantias in narrationibus eius deprehendunt: lingua, qua Mofes vtitur, fervat infantiae fuae characteres, et ftilus argumento eft, nulla eam fcribentium arte haftenus fuiffe excultam: probant hoc frequens generis et numeri enallage; indeterminatio verborum ad fignificandas temporum differentias; omiffio crebra particulae intelligendo fenfui neceffariae v. g. relatiui *qui*, *quae*, *quod*; frequentiffima repetitio eiusdem particulae v. g. *ve*, nunc redundantis, nunc omnes fere conjungendi particulas fupplentis; quod quis hodie in fcriptore ferret, immo quis ferret vel in Mofis Interprete *ve* vbivis per *et* reddente? nemo vtiq; dices, quia *ve* aliarum etiam particularum vim habet; habet fateor, fed nonne hoc ipfum
linguae

linguae et artis scribendi infantiam prodit? quorsum autem haec dico? nimirum vt vetustum Mosē non ex modernis stili et grammatices regulis in omnibus dijudicemus. — Praeterea auctores Nostri nec sibi nec Scripturae satis cohaerentia statuunt circa plantationem paradisi: nunc enim paradisum quarto diei adscribunt pag. 82. sect. IV. in 4. diei opere; nunc sexto diei, et formato quidem jam tum homine pag. 43. quae quis conciliabit? omitto alia, quae in sententiae suae confirmationem adducunt, adeo leuia, vt mirarer, ea proferri potuisse, nisi esset omnibus systemate quodam praeuentis, solemne quidquid causae suae inservire potest, undequaue corradere; pergamus ad aliud et grauius Dissertationis caput, ad ipsam narratorum Mosi explicationem.

§. VII.

Prius vero, quam eamus per singula, iuuat summam eorum systematis paucis complecti; ea haec est: primum omnium creatos a Deo statuunt spiritus coelestes, et materiam huius vniuersi rudem et informem; illos a Mose **שמים**, hanc **ארץ** nomine significari contendunt. Hoc **ארץ** Mosi, quod ajunt esse ipsissimum Veterum chaos, et eo etiam nomine non semel appellant, dicunt esse materiam, ex qua formata sint quatuor Elementa, lumen et omnia corpora coelestia; eam v. 2. vocari *rem ordine et motu carentem*, inerrem, indigestamque molem, ita enim interpretantur verba hebraica **תהו ובהו**. Tum duo statuunt principia in hoc chaos agentia, primum materiae congenitum, ventum nempe validum et vehementem, a Mose v. 2. *Spiritum Dei* appellatum, qui id effecerit, vt partes aquae a se invicem fuerint sejunctae, atque ita magis idoneae, quae igneae lucis vi potuerint in altum eleuari; atque haec lux ignea seu ignis lucens alterum ipsis est motus principium, a Mose lux vocatum, quae praeterea cum habuerit effectum, quod Terrae dederit caloris



loris et siccitatis gradum, quem ad producendas plantas et arbores habebat necessarium. Haec de opere primae diei. Secundo die factam esse ajunt expansionem aeris, atmosphaeram mediam inter aquas inferiores terrestres et aquas superiores in nubes et vapores rarefactas, atque extensam hanc aeris regionem a Mose vocat רָקִיעַ, vulgo firmamentum v. 6. Tum die tertiæ crustam Terræ hanc inde disruptam profunda et ampla fecisse receptacula aquis recipiendis idonea, atque inde enata esse maria, fluuios, lacus, et aridam sese conspiciendam praeuisse. Atque cum hoc triduo chaos euanesceat, ordo et decor Naturae vniuersae tribuitur. — In quarti diei principio, ut hic quidem statuunt, conditus est paradysus reliquo terrae solo adhuc inculto, et cum oriturae jam in terra plantae tenerae, vim ignei luminis, terrae obfundum eius humdum antea innoxiam ferre non possent; fuisse illud in corpora coelestia numero et magnitudine immensa diuisum: nempe igneae lucis huius vi, qua chaos per triduum euolutum est et explicatum, particulas terrestres (materiam credo huius Vniuersi intelligunt) eleuatas, atque in vortices agitatas coalescere in planetas, atque idem opinantur de Cometis dicendum; vtrumque vero stellarum genus positum esse in altero coelo materiali v. 14. quod a Mose studiose distinguunt ab altero coelo v. 8. vocante illud coelum *simpliciter*; illud vero v. 14. *extensionem coeli*, i. e. coelum extensum, et quoniam hoc nomine priori opponi credunt, coelum extensius. Tres igitur coelos statuunt, primum *spirituale* v. 1. ipsosmet angelos, duos alios materiales, alterum inferius, coelum aereum et volucrum, diuidens aquas ab aquis; alterum superius, in quo stellae tam errantes quam fixae. In enarrandis quinti et sexti diei operibus nihil profuerunt a communi sententia diuersum, nisi quod volucres non velint ex aquis formatas; verba item ista v. 27. *faciamus hominem* &c. adscribant 2dæ in Deitate Personae, siue Verbo, et Verbo quidem humana figura praedito, quae ipsa fuerit imago, ad quam homo creatus, quae Patriarchis visa, & tandem apparuit conuersans cum hominibus in terris —



Hic vero nempe v. 27. textus hebraici filo relicto progrediuntur ad cap. II. v. 18. quae cum superius satis prolixè exposita fuerint, hic otiose repeterentur. Ille est brevis conspectus diffusae eorum Explanationis, cuius nunc singula rigidius discutienda.

§. VIII.

Primum igitur Nostri *Coeli*, *Terraeque* nomine non coelum quod videmus, et terram, quum calcamus, significari a Mose contendunt; sed *Coeli* quidem nomine *angelos*, *Terrae* autem vocabulo materiam Vniuersi huius aspectabilis, atque ita etiam vertunt cap. II. 1. Terra enim nobis inhabitata, dicunt, v. 10. prius appellata est ארץ; ergo hoc significatu non accipitur v. 1. Coelum item, quod videmus, formatum postea ex eodem ho ארץ; ergo quod v. 1. עמים siue coelum vocatur, non est idem cum eo, quod post ex ארץ formatum dicitur. Iobi item c. 38. v. 7. dicitur, *cum me laudarent simul Astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei*, ex quo inferunt, angelos fuisse ipsa Astra matutina, quidni hic eadem figuræ licentia appellentur coeli? addunt Mosen coelos alloqui, in testimonium vocare; quod non nisi in naturas ratione et intelligentia praeditas convenire possit. Sed haec profecto nimis leuia sunt, quam ut a communi, propria, et nativa verborum significatione recedendum nobis putemus; quam si quacunque leui ex causa insuper habere licet, quid tandem in Bibliis assertum erit? nae jam lata omnibus figmentis et fabulis porta aperietur! Quid enim vetat inprimis, quo minus nomine ארץ & v. 1. intelligamus *terram*, & v. 10.; versu quidem primo *terram aquis cinctam*; versu 10. *aridam siue aquis nudatam*? nonne hoc in omni lingua nobis nota frequens, ut eodem vocabulo ab ארץ ducto nunc totum globum terra marique constantem, nunc *terram duntaxat* intelligamus? faciunt hoc Germani, Latini, et qui ex iis idioma suum depravarunt, manifeste. Demus in citato Iobi loco per *filios Dei angelos* in-



intelligi cum LXX. ; cum tamen astris coexistere dicantur, quis non videt ab his eos distingui? infirma proinde consecutione angelos cum astris et coelis confundi? Id vero satis mirari non possum, quomodo Viri tam viuido pulcri sensu a natura instructi, in literis etiam profanis versati ausi fuerint pronuntiare, res inanimas in testimonium vocari non posse! quid quaeso in omni poemate, et orationis *πρόσωπον* frequentius? non id in ipsis psalmis sexcenties obseruauerant? num potius prae nimio tuendae hypotheseos studio hic non memineraut? maneat igitur natua et consueta vocabulis his significatio; per *Terram* intelligamus globum hunc terraqueum, hominum animantiumque domicilium; *coeli* vero nomine regionem omnem supernam quaquaversum immensam; *coeli* autem *terraeque* nominibus conjunctim ex Hebraeorum usu tota haec rerum denotatur vniuersitas: ita Deus descripturus suam immensitatem inquit: *coelum et terram ego impleo*, i. e. hoc, qua late patet, vniuersum; Seruator item: *coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt*, i. e. citius totum hoc vniuersum interibit, quam verba mea; Deum item in symbolo *Creatorem coeli et terrae* vocamus; an *Coeli* et *Terrae* tantum; utique vniuersorum: scilicet non suppetit Hebraeis aliud singulare et vnicum nomen, quo hanc rerum vniuersitatem exprimant; atque hac periphrasi et nos vulgo utimur, et usus fere est Auctor libri de Mundo, qui vulgo Aristoteles putatur; ergo demum ea est Mosis verborum sententia: *in principio creauit Deus totum hoc vniuersum aspectabile*, vt adeo Moses hoc veluti prooemio omne narrationis suae argumentum complecti intelligatur. Non est haec obseruatio vt vt non nemini minuta videatur, de nihilo: inde enim iam apertius patet scopus Mosis, describere nimirum Mundum hunc visibilem comparate ad Terram; ergo etiam consilium eius non fuit, de angelis, aut Mundo, nescio quo inuisibili, dogmatizare, aut systema Copernicanum vt Auctor *Mosis copernizantis* fingit vel aliud quodcunque exponere. Sed ineptum cuiquam videatur terram componere coelo, punctum immensum;

quasi quis descripturus globum terraqueum diceret eum constare *Terra aqua*, et *grano* arenae; atqui major fortassis est proportio inter haec, quam coelos inter et terram: est sane in rei veritate et mathematicorum Iudicio; sed non ita videtur vulgo et sensibus: quodsi sensuum hac in re testimonium hominumque spectemus Iudicium; vniuersum hoc aspectabile duabus magnis constat partibus; quarum vna terra est, quam colimus; coelum altera, quod suspiramus: atque haec se se accommodabat Moses, non Astronomiae Theorematis. Quodsi in Luna habitasset; credo eum vniuersum ita circumscripturum fuisse: *in principio creauit Deus Coelum et Lunam*; sed nimirum Moses in Terra scribebat terricolis. Hinc est etiam, quod lunam vocet *luminare majus*, non quod reuera tale sit; multo enim et vi luminis, et corporis magnitudine superatur a stellis fixis; sed quod nobis ita videatur. Vereor vt in his nimium prolixus fuerim. Deinceps breuior esse studebo, ex ordine praecipua ex cap. I. Geneseos vocabula interpretatur.

§ IX.

Cap. I. v. 1. *בראשית ברא*, *in principio creauit*, non: *in principio cum creauit*, ita recte aduertit Calmet contra RR. quosdam, quibus praeuerat Raschi leuicula quadam ratione ductus.

ברא creauit, Nostri Exemplis e Mose productis pag. 89 -- 91. hanc dum verbi significationem figunt, quod denotet *actionem*, *quod detur existentia rebus*, quas *Natura sibi relictæ non potest producere*; in ipsis exemplis amplius aliquid dixerant, creationis ex nihilo significationem adstuentes; quæ in re praeuerat ipsis Ludovicus de Dieu in Genes. II, 3. sed vereor, vt id vniuersè acceptum verum sit: nam cap. I. v. 21. adhibetur idem hoc verbum de piscibus, et v. 27. de Adamo, qui ex nihilo creati non sunt, quod Nostri ipsimet alias confitentur; sed vt desuper tritari etiam velient; hic tamen locus irrefragabilis psal. 102.



19. *populus qui creabitur* (**נברא** , *nascetur*) *laudabit Dominum*, ubi **ברא** *gignendi* significationem habet; quod confirmatur ex nomine **בר** *filium* denotante: contra rationem enim per aliterationem ex **ב** ortum dicitur, quando rectius a radice earundem literarum et significationis-deriuari potest. Ergo demum **ברא** duo significat: α , creationem stricte et proprie dictam, β , creationem latius acceptam pro generatione, formatione alia; habent nimirum hoc Hebraei cum aliis omnibus linguis et populis commune, ut careant proprio vocabulo ad significandam istam Omnipotentiae actionem; et vero spectata linguarum origine res aliter esse non potest.

אלהים in sing. **אלה**, *Deus*. rectissime videtur ab arab. **الله** timuit, deriuari posse: hoc Orthographiae conueniens, et moribus ac genio cogitandi Orientalium, ubi Majestas etiam in homine sine sacri horro- ris idea non concipitur; inde est, quod Religio Orientalibus: *timor Domini* dicatur, huc quoque spectat, quanquam alio in sensu illud Poetae: *primus in orbe Deos fecit timor*. Sed bonis Germanis alius hac in re sensus, Deum a Bonitate vocantibus.

§. X.

Varietatis gratia subtilitatibus hisce grammaticis iuuat interponere Disputationem ex Theologia Scholae obiter, sed accurate tamen perstringendam: fuere qui ex his verbis **ברא אלהים** quae verbore- nus reddere possis: *creauit dii* unitatem Naturae et pluralitatem perso- narum in Deo colligerent: hanc indicari nomine plurali **אלהים**. illam vero verbo singularis numeri **ברא**. Primus, si *Sixto Senensi* fides Biblioth. S. lib. 5. * argumentum hoc in medium protulit Petrus Lombardus *Lib. 1. D. 2.* sed ita, ut vel ex ratione scribendi (si haec tamen ab ipso est,) si id aliunde non constaret, arguere liceat, eum in Hebraicis rudem fuisse. Arripuit et defendit hunc locum cum aliis

plurimis speciali libello *Nicolaus Lyranus* Hebraice et Rabbinice in paucis doctus. Opposuit peculiare Opusculum de Ss^{ma} Trinitate *Alphonfus Tostatus*, olim ob doctrinae magnitudinem *stupor Mundi* dictus, qui demum de hoc aliisque similibus locis ita pronuntiat: *Insipientia magna est, et quasi insania, velle per similes auctoritates convincere pluralitatem personarum diinarum contra Hebraeos*, quanquam hoc contra Terentianum illud: *ne quid nimis!* quid vero putas eum de Jactatis Lullitarum demonstrationibus dictum fuisse, qui communem Theologorum opinionem tam in clementer habebat? post Alphonsum contra eandem insurrexit Cardinalis Cajetanus (acrius propterea reprehensus a coslumno suo *Ambrosio Catharino*) sed falsa hac ductus ratione, quod nomen hoc in singulari in Bibliis nusquam occurrat. Haec obiter de huius controuersiae Historia. Quid vero, quia jam coeptum de hoc dicere, de argumento ipso censendum? ego infirmum illud et olim dixi, et adhuc dico: ita enim fert usus linguae Hebraica, ut nomen plurale contruant cum verbo singulari, ubi etiam nulla alicuius mysterii umbra adparet. vid. in Hebr. Genes. c. 42, v. 30. Exod. c. 20, v. 3. Exod. c. 21, v. 4. Esther. c. 9, v. 23. adde infra v. 14. *fiant luminaria*, in Hebraeo verbotenus: *fiat luminaria* יְהִי מְאֹרֹת, quae loquendi ratio, Arabibus praesertim usitata, sequente nomine feminino plurali. Igitur Hebraismum esse dicamus. Atqui, instat P. Gerbert R^{mus} modo Abbas ad S. Blasium in *Instit. Theolog.* non esse h. braismum hunc sine ratione; aliam autem assignari non posse, quam ipsum hoc mysterium; sed, quod cum pace R^{mi} et Doctissimi Auctoris dictum sit, nullo id idoneo fundamento asseritur; cum constet, adhiberi etiam, ubi nulla mysterii alicuius vola aut vestigium: quod si ratio danda, illa verosimilior, quod haec loquendi ratio ex infantia linguae superstes cum aliis pluribus Archaismis supra recensitis.

* Scio quidem a Calaneo in h. l. argumenti huius Auctores laudari *Origenem*, *S. Hieronymum*, et *S. Epiphanium*, non indicatis tamen, ubi illud habeant, locis. Nec vacat, nec licet mihi virorum horum opera euoluere; Hieronymum cum ad

manus haberem, consului in *Q. Q. Hebr. in Genes.* ubi enim alias quaesieris? sed frustra. Suspicio est, Calmetum hic fefellisse memoriam. Sed cito, utantur etiam triumviri isti argumento hoc, licebit illud tamen cum *Pererio, Simonio, Calmeto* ipso infirmum vocare.

§. XI.

§. 1. שמים nomen *Coeli* derivatur ab arabico שماء altus fuit; ארץ vero nomen terrae ab Arab. *Arada*, humilis, depressus fuit; *Coelum* igitur ab altitudine, *Terra* a depressione nomen habet. Scio *Hieron. Aben Esram*, et vulgo alios aliter derivari; sed nostra derivandi ratio nemini Arabice et Hebraice scienti dubia erit, et velex sola Antithesi euadit probabilissima; adde quod haec idea primum occurrere debebat *coelum* et *terram* spectanti. Putabam alias שמים nomen *coeli* duale esse, habet enim reuera dualem nominum hebraeorum terminationem, cuius nulla occurrebat verosimilior ratio, quam duplex *coeli* Hemisphaerium, cum ex sententia Hebraeorum tres sint *coeli*, numero adeoque plurali efferendi; sed veriora me docuit *Ludovicus de Dieu** docens in lingua Aethiopica usitatum esse singulare שמי *coelum*, uti quoque מי *aqua*, unde pluraliter dici in Hebraeo non potest, quam ab illo quidem שמים, ab hoc vero מים, aethiopice מית. Mirabitur fortasse non nemo, Hebraica ex Aethiopicis illustrari; sed hoc ei demum paradoxum videbitur, qui linguarum harum affinitatem, et prima philologiae principia ignorauerit.

* Saepius deinceps laudandus, Professor quondam LL. OO. Lugduni Baravorum; egregio commentario in utrumque Testamentum clarus; maximum commentariorum eius pretium consistit in Versionis syriacae usu, atque hunc etiam scopum respiciebat. Feci mihi quondam collectanea ex libris eius, unde, quae in praesentem usum sunt, transcribo.

§. XII.

§. 2. תהו ובהו, Vulg. *inanis et vacua*. Nostri intelligunt *mas-*
sam ordine et motu carentem, quas ipsas ideas in mente habuit Symma-

chus vertens: *αργον και αδιαγεστον*, *pigrum et indigestum aliquid*. Nō stris id fundamenti loco: quod I. Sam. XII, 21. (Lat. I. Reg.) et Jesa. c. 41, v. 29. et c. 44, v. 9. idola vocentur **תהו**, quorum id proprium, ut vita, sensu, et actione omni destituantur. Ut non negem specialem hanc ideam vocabulis inesse, eam tamen non satis rigida consequentia ex loc. cit. collegere, ubi **תהו** solitane, non junctum cum **בהו** occurrit, et angusta nimis idea mentem Mosis non exhaustire videntur. Coniuncta occurrunt Jsa. c. 34, v. 11. et Jerem. c. 4, v. 23. ubi *extremam desolationem* significant, quam Vulgata optime expressit, sic vertendo: *inanis et vacua*; consentientibus *Aquila et Theodot.* *κενωμα και εδεν*, *inanitas et nihil*, vertentibus. LXX. *αβυσσος και αβυσσος*, *inuisibilis et incomposita*, respicientes vniue prioris vocabulo ad statum terrae tenebris obteatrae, de quo mox.

תהו, LXX. et ex iis Vulgata: *abyssus*. Quid vero hoc rei? *immensa aquarum moles terram ambientium*. Ita exponit *Jacob Edessenus Syrus*, cuius in idiomate vocabulum eo tempore superstes, ita scribens: *Hanc terrae inuisibilitatem LXX. adscribunt huic aquarum תהו, terram ad eum modum, quo secundina partum in utero matris circumdanti*, atque in eandem sententiam *αβυσσος* exponitur a *Suida* in lexico ita scribente: *uniuersam naturam aqueam siue Elementum aquae scriptura abyssum vocat?* alias haec vox ex constanti scripturae usu Mare, et quamcunque ingentem aquarum copiam significat. vid. obuium quoduis lexicum, *Stocker* praesertim, propterea etiam commendandum, quod Concordantiae Hebr. vices suppleat. Significatum hunc Arabica firmiter; quibus ob typorum defectum saepius quam volo, abstinere debeo. Debeo haec, ut plura alia Philologiam spectantia, quod hic grato animo profiteor, colendissimo quondam meo in Orientalibus Goettingae Praeceptoris *Michaelis*. Nempe refert Magistrorum limina terere, et librorum meliorum notitiam adipisci!

Nostri per **תהו** *Chaos* intelligunt; quod si per *Chaos* intelligatur terrae, aquae, et aeris confusio, quae initio creationis fuerit, non admodum repugno; sed si veterum sensu, quod non semel confiten-

tur, vocem accipiant, non video, quomodo illud cum Mose conciliare valeant? nota illius descriptio ex *Ouidio princ. Metam.*

*Vnus erat toto naturae vultus in Orbe,
Quem dixere Cbaos, rudis indigestaque moles;
Nil nisi pondus iners, congestaque eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum.*

Doctrina inde orta videtur, quod creationem ex nihilo ignorarent Gentiles, materiam adeo diuinæ Menti coaeternam omnium rerum semina continentem statuerent, in qua explicanda et in ordinem redigenda vnicum Mentis huius diuinæ negotium fuerit; Gentiles igitur chaos statuentes cohaerenter philosophati sunt; at vero Christiani quamplures eosdem secuti, cum fide diuina edocti postremum errorem detestarentur; nulla jam ratione priorem amplectebantur. Moses certe clarissime hoc Poetarum chaos excludit, statim initio globum Terræ aqua et aere cinctum, et coelum distinguens, tria adeoque Elementa et inter se, et a coelo discreta statuens, ut deinceps amplius constabit.

§. XIII.

γ. 2. רוּחַ אֱלֹהִים, *Spiritus Dei*. Plerique PP. tertiam in Deitate Personam intellexere, Spiritum S. sensu mystico, ut saepe alias. Nonnulli virtutem et Energiam Dei in aquas agentem. Nostri cum plerisque Recentioribus, quibus praeiuerant *Pbilo, Tertullian. Theodoret.* et alii apud Ss. *Basil. et Hieron.* ventum validum et vehementem. Profecto Hebr. רוּחַ et lat. *Spiritus* et ex vi nominis, et ex usu Scripturae frequenti ventum significat v. g. Genes. VIII, 1. Psal. I, 4. Actor. II, 2.; epithetum vero Dei auxesin, magnitudinem denotat, ut alias saepe; sed cum verborum horum significatus dependeat hic a sequente praedicatione, illud imprimis sub examen vocandum. Est autem מְרַחֵף part. in Piel, LXX. reddunt illud per *ἐπιφύετο* quod aut vertere possumus cum Vulg. per *ferebatur*; aut per *descendebat*; illud vento convenit, hoc magis virtutis cuiuspiam diuinæ delapsus argueret. *Chald. habet*

bet flabat, insufflabat; abs dubio ventura intelligens. Huic contrarius S. Hieron. Q.Q. Hebr. in Genes. : Et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Pro eo quod in nostris Codicibus scriptum est, ferebatur, in Hebraeo habet מרחפת, quod nos appellare possumus, incubabat siue confouebat in similitudinem volucris, ova calore animantis. Ex quo intelligimus non de

Spiritu Mundi dici, ut nonnulli arbitrantur, sed de Spiritu sancto. Lectu praecipue digna sunt, quae hac de re scribit S. BASIL. in Hexaemeron diuini opificii Homil. 2. vbi postquam duplicem horum verborum adtulisset expositionem, subdit, se ex ore cuiusdam Syri docti et sancti viri habere, hanc verbo significationem inesse: Confouebat, vitalemque foecunditatem aquarum naturae praebebat ad similitudinem auiculae incubantis, vimque vitalem quandam imprimens in ea, quae ab ipsa fouentur. Syrus, quem hic laudat, est aequalis et amicus eius S.

Epbrem, qui in eandem sententiam loquitur hunc locum interpretans; sed alibi tamen, vbi de igne super Caini sacrificium delapso sermonem habet, reddit per 70: delabi. In Bibliis haec vox ter occurrit, semel hoc loco; iterum Deut. c. 32, v. 11. vbi adhibetur de aquila incubante pullis suis; et tertio Jerem. c. 33, v. 9. vbi de commotione ossium. Ex his demum omnibus id colligo, verbo duplicem inesse

significatum, ex materia, de qua sermo, dignoscendum: alterum generalem motus et descensus; specialem alterum fouendi et incubandi; ille prior et hebraeis antiquitus familiarior fuisse videtur, agnitus a LXX. Chald. Joseph. Phil. Vulg. Theodot. Aquil; hic posterior et Syris vsitatio: testes Rabbini, S. Epbrem, et S. Hieron., qui id abs dubio habuit a praeceptore suo Iudaeo palaestinensi. Poteram rem citius et facilius absolvere, si, quod vulgo faciunt, obuium quoduis lexicon exscriberem; sed interest inter solidam et superficialiorem rei notitiam! hic limpidi fontes adeundi, non turbidis inhaerendum riuulis. Oppido in hebraicis rudis sit, qui id ignorat!

§. XIV.

§. 3. *Fiat lux.* Nostri cum Mose recte *lucem* vocant, non corpus aliquod lucidum, a Deo, quasi posterioribus curis melius edocto, iterum destructum, quod miror ab Interpretibus quaeri potuisse. Commemoratis jam *Terra, aqua, et aere* ordo et locus erat commemorandi Elementum ignis, quod nisi hoc loco fiat, nulla in Cosmogoniae Historia mentio fieret lucis, rei omnium, quae sunt in hoc universo, maxime memorabilis et stupendae; quod quis credat commemoratis aliis quam plurimis minutioribus? porro de hoc igneae lucis siue lucidi ignis elemento et Mosi et Naturae congruenter philosophantur Nostri: dum ea inprimis effectum esse dicunt, ut pars aquarum in vapores rarefacta sursum iret; et Terra necessario ad producenda germina caloris et siccitatis gradu donaretur. Sed, quod cum pace eruditissimorum virorum dictum sit, in eo non loquuntur satis *quasi*, quod lumen hoc aeris modificationem dicant: quanquam hoc leuius; illud plane per naturam rerum impossibile, quod Planetas et Cometas ex eo oriri faciant: etenim lumen tam est subtile, ut, si *Muschenbrokio* fides, tenuis quisque pilus 5000,000,000,000,000 vicibus crassior sit quovis luminis radio, cuius subtilitatis omnem imaginandi vim superantis alia quamplurima exstant argumenta; et fieri posse dicamus, ut tam densa, immensa, opaca, et tota sui natura diuersa corpora ex lumine componantur?

§. XV.

§. 6. Secundo die factum narrat Moses רקיע, dividens aquas superiores ab inferioribus: quo nomine non omnes idem intelligunt. LXX. vertunt στερωμα, quod reddere possis cum Vulgata: *firmamenti* vocabulo. RR. communiter *Expansum* vertunt, aerem intelligentes. Vulgo per *firmamentum* coelum stelliferum idque solidum, intelligunt an- sam errori vocabulo praebente, et quo praeuerti olim erant, systemate Ari- stotelico,

stotetico, coelos solidos et chrySTALLINOS statuente: hoc est memorabile exemplum erroris ex vnica vocula male intellecta latissime propagati! videamus an etymon nominis certiora suppeditet? verbi **רקיע**

has in Bibliis significationes reperimus: *α*, *tundere*, trudere pedibus Ezech. VI, 11. et c. 25, v. 6. *β*, *conculcare* 2. Sam. (lat. 2. Reg.) c. 22, v. 43. *γ*, *diducere* v. g. malleo laminas Exod. c. 39, v. 3. Num. c. 17, v. 3, 4. (lat. c. 16, v. 38, 39.) *δ*, *expandere*, quod inuenio in lexicis, at non in Bibliis; quanquam non negem, spectata etymologia id significari posse, et ex Rabbinorum vsu etiam significare; in puriore autem hebraismo nullum scio exemplum. Subductis ergo rationibus etymologicis videtur **רקיע** esse aliquid, cui insititur tan-

quam pauimento, aliquid substratum pedibus, (*Fußboden*) atque ita etiam habet D. *Michaelis* in celeberrima versione sua germanica V. T., *atmosphæram* intelligens, Dei curru tonante vecti pauimentum, augusta utique, imagine et Dei Maiestate digna, nec ab Hebraeorum cogitandi modo aliena! sed spectata etiam nominis origine *diductum* aliquid et *expansum* significare potest: quo ipso nomine *atmosphæram* recte intelligas: quod ne gratis statuere videar, rem ex ipso Mosis textu euincam. Moses hoc **רקיע** medium statuit aquas superiores

inter et inferiores; porro aquae inferiores abs dubio terrestres sunt, maria, fluuii et lacus; aquae vero supra firmamentum coeli eae utique sunt, quas idem Moses in eodem libro ruptis coeli cataractis tempore diluuii delapsas refert: atqui aquae tempore diluuii coelo delapsae nubes fuerunt et vapores in pluuias resolutae Genes. VII, 11. coll. Genes. VIII, 2. nec per rerum naturam aliunde venire, nec alio redire poterant; aquae igitur supra **רקיע** existentes nubes et vapores sunt in atmosphaera versantes; cumque has inter et aquas terrestres nil nisi aeris regio media interc dat; hanc demum cum ratione maxime probabili Mosis **רקיע** esse statuemus. Recte hac Nostris explodunt Ju-

daeo-

daeorum fabulam coelum superius, quod nobis caeruleum videtur, solidum, et supra illud aquas statuentium, quae tempore diluvii disruptis coeli cataractis fuerint delapsae. Fecerunt hoc utique Iudaei ex magna, qua tenentur, rerum physicarum ignorantia: nam neque licet coelum aliquod visibile solidum statuere, neque aquas in Cataclysmo demissas tam alte euehere, quae nec sine miraculo tam brevi potuissent delabi, nec sine maiore prodigio iterum attolli. Taceo absurda alia quam plurima exploratis physicae Legibus repugnantia.

§. XVI.

¶. 11. Nostri sic transferant: *Germinet terra IN ABUNDANTIA* herbam viventem, et quae proferat ABUNDE semen, similiter arbores *MAXIME FRUGIFERAS*, conformiter regulae suae, quod per geminationem vocum eiusdem radices, energia significetur. vid. infra v. 20.; sed haec regula gratis statuitur: in stilo enim legislatorio frequens est vocum geminatio nulla emphasi indicata. Magis notabile discrimen, quod intercedit inter רֶשֶׁת et עֵשֶׁב, quo de haec habet *Lud. de Dieu* in h. l. Docet R. S. J. * inter רֶשֶׁת et עֵשֶׁב discrimen esse, quale apud Gallos inter HERBAGE et HERBE. Illud scilicet esse nomen generale, multarum herbarum complexum continens, et quasi vestimentum designans, quo uniuscuiusque aliquis campus inducatur; Hoc autem speciatim de quovis germine singulari recte dici; ita ut dicere liceat עֵשֶׁב פִּלְנִי, talis aut talis herba, at non רֶשֶׁת פִּלְנִי. Hactenus Rabbi cit. apud *Lud. de Dieu*. Firmare hanc significationem videtur Psal. 23. (lat. 22.) v. 2. ubi: in pascuis viridibus (בְּנֵאֲוֹת רֶשֶׁת) collocat me. et Prou. 27, 25. ubi cum Vere dicitur apparuisse herba רֶשֶׁת, non utique vnus singularis caudex herbaceus, sed gramen. Adde quod רֶשֶׁת (ni fallor) nunquam occurrat in plurali, adeoque nomen videtur collectionem significans. Hoc tamen traditae explicationi addendum, quod רֶשֶׁת herbam teneram, quam virginem vocant, signi-

significet, primo vere promicantem; עֵשֶׂב herbam adultam, vt patet ex loc. cit.

* i. e. Vt conjicio Rabbi Salomon Isaaci scilicet filius, alias *Farchi* a ירח (Luna), quod crederetur Lunelli in prouincia natus, communiter *Raschi* dictus, quem saepius laudat *de Dieu*, et ex quo plurima *Lyranus* habet. Quae fuerit ipsi patria, incertum; sed tum nomen *Farchi*, tum text cit. Galliam, aut diurnam saltem in ea commorationem indicare videntur. Si fides *Calmeto*, *Dissert. de Schol. Hebr.* vixit saec. XII. Maimonidi coaevus, in Scripturam, variosque Thalmudis Tractatus commentatus est, diemque clausit Treuiris; corpus eius inde a suis Pragae translatus. Sed Ill. *Michaelis B. O. part. V. pag. 13.* adnumerat cum saec. XI et pag. 24. Spirae habitasse scribit. Quod apud nos mortuus diceretur, nolebam nomen Viri alias docti nostris ignotum manere.

§. XVII.

Y. 20. יֵצְאוּ עֲרֵץ, Vulg. *producant aquae reptile*, Nostri addunt: *copiosa multitudo*, ob vocum geminationem. Conf. supra v. 11. quid igitur עֲרֵץ? *Raschi* apud *Lud. de Dieu in b l.* interpretatur עֲרֵץ omne animal viuens, quod non alte a terra assurgit, quales sunt muscae, formicae, scarabaei, vermes, mustelae, mures, lacertae, omnesque pisces; quod autem praecedit יֵצְאוּ הַמַּיִם vertitur: *producant aquae, nempe abunde in morem reptilium, deducta significatione Verbi a Nomine עֲרֵץ.* hactenus *Raschi*. Hic Verbi significatus confirmatur ex lingua Aethiopica, in qua vsitatum de herbis e terra germinantibus: ponitur enim pro ἐξανετελε, *Matth. XIII, 5.* et pro ἐκφυη, *Marc. XIII, 28.* testante eodem *Ludouico Animadv. in N. T.* Ex Bibliis haec constant: α, omnia animantia aquatica עֲרֵץ vocantur *Leuit. XI, 10.* β, etiam insecta quatuor pedum alis instructa v. g. locustae. *ibid. v. 21.* ergo generatim עֲרֵץ aquatica notat et insecta; siue omnia quae nec volatilia nec quadrupedia proprie censentur: post haec verba: *producant aquae reptile*, sequitur ועוף ועופף, et volueres volantes.

litabunt, vel volitent. Vulg. LXX. et Chald. vertentes: *et volucres volitantes*, ansam dederunt opinioni, aues pariter cum reptilibus fuisse ex aquis productas. Hoc recte improbant Nostri: sed quod על-פני vertunt: *Sous l'Aspect du ciel le plus étendu*, faciunt contra proprietatem et vsum verborum, fauentes praeconceptioni suae hypothese.

✠. 24. חיתו ארץ, *Bestias terrae*. Nostri Bestias terrestres omnis generis, ob vau, vt ipsi quidem vocant *emphaticum*; alii *paragogicum* vocant; emphasin per illud indicari, non scio an vlllo idoneo exemplo probetur? *Morinus* et *Houbigant* contendunt legendum esse חית; sed nulla hic opus spongia critica. In Syriaco certe vau saepe pleonasticum, quod norunt Tyrones. In Hebraeo etiam non insolens esse, probant Psal. 104, 11. et 20. Ies. c. 56, 5. Sophon. II, 14. vid. *Robertson Clavis pentateuchi*.

✠. 27. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Quod haec verba Nostri tribuant Verbo, et Verbo quidem humana figura praedito, superius expositum; et propterea dicunt cap. II, v. 7. vbi de formatione hominis agitur, studiose dictum ויצר, *et formavit, finxit* (Deus) figuli more, digitis suis materiam, in formae humanae speciem effingens. Hoc vero credat Judaeus Apella!

§. XVIII.

Cap. II, 5 -- 8. Hic nobis otium aliquod fecit R^{mus} Dominus *Calmetus*, qui in hunc locum copiose praeprimis et diligenter commentatus est. Tres adfert huius loci versiones et expositiones diuersas.

I. Vulgatam in eam sententiam interpretatur, vt indicare videatur, herbas ac plantas omnes tunc quidem omnipotenti Dei virtute *primum* creatas fuisse, cum *ordinario Naturae cursu* hactenus nihil progeminare potuerit: quandoquidem deesset pluuia, hominis cultura, et fons
etiam,

etiam, i. e. fontium copia omnem terram obrueret. Atque haec expositio praeplacuit etiam *Pererio* ita in h. l. scribenti: *Illud igitur: fecit Dominus Deus herbam regionis, priusquam germinaret, significat, illam Dei procreationem plantarum fuisse primam omnium, non rei Natura, sed potentia Dei perfectam.* Ita vero, quod etiam aduertunt *Noſtri*, non video, quomodo *Mosen* ab otiosa narratorum repetitione liberare possimus. Nonne *Moses* distincte et perspicue docuerat, hoc primum tempore omnia a Deo creata esse? quid igitur opus habebat, illud hoc loco tam multis verbis et rationibus inculcare, nullo his cum antecedentibus et consequentibus intercedente nexu? immo quorsum jam solorum germinum faceret mentionem? quid? quod *Vulgata* cum *Calmeto* intellecta secum ipsa pugnet? si enim fontium copia omnis terra erat obruta; ergo nullus plane herbis et plantis locus. Adde *Aridam* jam die tertio apparuisse vtrique humidam adhuc et lulentam; non tamen aquarum copia amplius obrutam. *Vulgatae* igitur textus aut hic non recte traductus, aut *Pererio* et *Calmeto* male intellectus.

II. Proponit deinde idem *R^{mus} Abbas* aliorum sententiam dicens: nonnulli textum hoc pacto reddidere: *Plantae agri nondum erant in terra, et herbae agrorum nondum germinauerant: eo quod nondum pluerat, et homo, qui terram exercebat, nondum formatus erat; sed vapor ascendeat et irrigabat omnem faciem terrae.* Hoc nimirum prooemio, si *Calmetum* haec verba interpretantem audimus, utitur *Moses* rationem redditurus, ob quam Deus opus habuerit, Paradisum plantare. Hanc expositionem video *Ludou. de Dieu* placuisse, et Colendissimo etiam praeceptorum meo *Michaelis*. Sane fatendum est, ex vi verborum et sententiae verti ita posse: certe **וְעָלָה** nondum significat et antequam. Duo autem obſtare videntur, primum, quod die tertio productae jam fuerint plantae; ad hoc vero cum specie veri responderi potest, coepisse quidem die tertio promicare; sed maturas, et hominum ac animantium nutrimentis idoneas ne die quidem sexto fuisse; atque hanc

hanc ipsam ob causam Deum opus habuisse, paradisum parare, et hoc esse quod narrat Moses. De eo magis dubitari potest an **7** hoc loco *vaporem* significet, vel *nubem*? id dubio caret, significari aliquid, quod ipsum non fuerit pluuia, pluuiæ tamen vices supplere; quid jam vero discriminis inter nubem terras irrigantem, et inter pluuiam? — Illud facile adparet, in quo hæc Expositio differat a priori: prior supponit extitisse plantas, sed prodigiose a Deo primum creatas; hæc vero extitisse negat, saltem adultas et maturas; præterea ubi prior *fontem* habet, posterior vaporem intelligit vel nubem.

III. Ultimo loco *Calmetus* hanc, quæ ipsi quidem optima videtur, interpretationem subiungit: *Ita creauit Deus coelum et terram, et plantas, antequam super terram prodirent, et herbas, antequam germinarent; non enim Deus pluuiam adhuc demiserat, et nondum creatus fuerat homo, qui exerceret terram, terraque nondum vapores emiserat, qui in ros vel pluuiam soluti ac dilabentes eandem irrigarent.* An hæc mentem Moïsis felicius tetigerit? mox videbimus. Literæ certe hebraicæ, quod *Calmetus* putat, propior non est. Quoad sententiam videtur cum prima conuenire; differt autem in vertendo et exponendo ultimo comate: *terra nondum vapores emiserat.*

IV. Supereſt, vt de Noſtrorum Interpretatione dicamus. Hi vero nouam dedere a tribus prioribus toto coelo diuerſam. En iſtam totidem ipſorum verbis expreſſam!

Ÿ. 5. *At antequam vllum virgultum agri eſſet in terra, et antequam vlla herba agri oriretur; nec ſane pluuiam immiſerat Dominus ſuper terram, nec erat homo ad colendam terram.*

Ÿ. 6, *Nec fons aſcendebat de terra et irrigauerat vniuerſam ſuperficiem terræ.*

Ÿ. 7. *Nondum etiam formauerat Dominus Deus hominem puluerem de*

de terra, nec inspirauerat in faciem eius spiraculum vitae, et nondum erat homo in personam uiuentem.

Y. 8. Quando plantauit Dominus Deus hortum in Eden cis Orientem, ut poneret illuc hominem, quem formaturus erat.

Y. 9. Germinare autem fecerat Dominus Deus e terra omnigenas arbores gratissimas visu, et optimas ad escam, et arborem scientiae boni et mali.

Hic se demum putant post tot Saecula aliquid uidisse; aberrasse alios, tum quod **¶** particulam negantem neglexerint repetere; tum quod *vau* ubique acceperint copulative; in Versione Vulg. non nisi otiosam fieri *ανακαταλυσιν*, eamque valde obscuram et implicitam; in sua vero et tenebras has dispelli, et tautologiam euitari, Mose causam et epocham plantati paradisi tradente.

Sed profecto multa sunt in hac versione gratis et arbitrarie *ανακαταλυσιν* etiam, contra vim verborum, et rei veritatem asserta. Etenim si penitus consideretur, in hanc denique sententiam recidit: plantatum fuisse paradysum, nullo adhuc existente germine, pluuiam, hominem, fontem; die, ut alibi loquuntur, quarto. Verba igitur illa: antequam virgulta essent et herbae, referunt ad eum terrae statum, quo fuit in principio diei quartae. Atqui hoc gratis faciunt, et contra nexum sermonis: nam et verba illa facilem admittunt explicatum, si referantur ad diem sextum, ita ut vel intelligantur excludi germina *naturaliter* orta; vel matura prorsus et perfecta. Atque alterutrum hunc explicatum requirere videtur sermonis nexus: neque enim absentia germinum die quarto adscribi poterat defectui pluuiam et hominis culturae; at vero poterat his causis adscribi, siue quod hac vice non essent naturaliter genitae, siue quod necdum essent maturae. Caute quidem Noëtri particulam **¶** *asseueratiue* vertunt, non *causali-ter*; attamen vel in hac versione non obscure ratio praecedentium exponitur. In v. etiam 6. later aliquid Physicae repugnans: dum enim
negant

negant fontes *hactenus* terrae solum irrigasse, confitentur utique, illud *post* contigisse; alioquin si fons nec terram ante irrigauerat, nec unquam post irrigaturus erat; impertinens plane erat eiusdem commemoratio. Quis vero tam est naturae rerum ignorans, ut sibi persuadeat, terram uniuersam fonte aliquo et pluribus etiam aut irrigatam aliquando esse, aut irrigari etiam posse? adde quod neque v. 6. neque v. 7. particula negans iterari possit: hoc imprimis aurium hebraicis adfuetarum Iudicio repugnat; insuper etiam sermonis nexui: nam v. 6. fons opponitur pluuiæ, tanquam eius supplens vices. Plura contra nouitiam hancce Interpretationem moueri possent; sed nolo in re aperta, nec capitali, prolixior esse, temporis praesertim constrictas angustia. Superest, ut quid mihi de versuum horum intellectu videatur, deinceps exponam: mihi igitur secunda interpretatio, quae est *Ludouici de Dieu*, et *Ill. Michaelis* maximopere probatur; in eo autem Viro clarissimo assentiri non possum, quod verba illa referat ad diem tertium: ob rationem superius expositam; quod absentia germinum hoc die deficienti hominum culturae et pluuiæ nec commode nec vere adscribi potuerit; etenim irrigatio terrae per pluuiam hactenus et per rerum naturam erat impossibilis, terra circum circa aquis obiecta; et primo statim post eius ex aquis emersionem die adeo non ad plantarum procreationem necessaria, ut potius inutilis futura fuisset et noxia; nisi hunc diem in enormem placeat producere longitudinem, tantam, ut terra interim plane fuerit exsiccata, et aquas sitiens, quo ipso hypotheseos huius infirmitas proditur, quippe quae non nisi coniecturis stabiliri possit. Referamus ergo potius verba illa ad diem creationis sextum, ea sententia, quod ob germina necdum matura, homini adeo animantibusque nutriendis necdum idonea, opus fuerit paradiso fructibus et herbis maturis instructo. Ita si intelligamus, Mosaicae narrationi suus ordo et ratio constabit.

§. XIX.

Inde ulterius coronidis loco pulchrum aliquod corollarium videor mihi posse deducere, quod nescio an a quoquam fuerit satis expresse notatum: Mundum nimirum hunc verno tempore creatum esse, i. e. sole in ascendentibus signis versante, comparate ad eam terrae partem, quam primi homines erant inhabitaturi: hoc scilicet requirebat sensim nascentium herbarum conditio, ne Natura in ipso mox ortu et cum ea alimentorum defectu animantia, saeva mox hyeme extinguerentur; sed post veris florem, et aestatis maturitatem relicto semine cum autumno innoxie exspiraret. Figendus in hac quaestione certus terrae locus et clima; vernum item tempus non vulgariter pro vernante Natura accipere oportet; sed Astronomorum more pro positu solis respectu habito ad terram: alioquin si de Mundo vel globo hoc terraqueo indistincte accepto sermo sit, non aberrabis, quocunque eum tempore conditum vel non conditum esse conjectaueris; pro locorum enim varietate omnis anni tempestas simul obtinet: quod si hic Ver est; ex parte globi aduersa Autumnus; in vtriusque medio, supra et infra Aestas erit et Hyems. Intelligenda ergo Quaestio de paradisi et vicinae regionis Zona. Plerique, qui Mundum siue vere siue Autumno creatum dixerunt, hac ipsa assertione sua prodiderunt, statum quaestionis non habuisse illos plane perspectum. Superfunt adhuc plura de hac aliisque affinibus materiis dicenda, sed quae alio loco et tempore opportunius tractabo. Nunc finem facio specimini pro disputatione satis prolixo; alias disputaturus breuior ero: neque enim amo antiquam crambem cum magnis studentium sumtibus recoquere; neque res a nemine prudente amplius admissas operose refellere: quod esset aperta ostia magno conatu infringere; neque vanas et noxias speculationes, quas olim sine haereseos, hodie sine stultitiae nota defendere vix possis, proponere. Sed illud mihi firmum ratumque esto, aut nihil scribere; aut illud tantum, quod ad optimarum literarum, quibus me per omnem vitam consecraui, incrementum, ad communem adeo utilitatem aliquid quoquo modo valeat conferre. AS-

A S S E R T I O N E S.

- 1) Moses initio statim Geneseos vulgaria quatuor Elementa commemorat.
- 2) Chaos in sensu veterum non est Creatura Dei; sed figmentum Poetarum.
- 3) Non credimus protoparentes siue ante siue post lapsum magna fuisse rerum scientia praeditos.
- 4) Prima hominum lingua Hebraica erat, aut quaedam Hebraicae valde affinis.
- 5) Deriuatur linguae *Hebraeae* nomen a patriarcha *Heber*.
- 6) Neque tamen in sola Heberi progenie viguit haec lingua; *Chanaeae* etiam et *Phoeniciis* communis.
- 7) Vocis גן ideam non bene exprimit latinum *Hortus*; melius perficuum *Paradisus*, et graecorum *Tempe*.
- 8) Paradisus fuit in Asia, prope Euphratem et Tigrim, non procul Armenia et mari Caspio.
- 9) Genes. III, 19. salua fide Catholica legi potest siue *Ipsa* siue *Ipsè* *conteret caput tuum*.
- 10) Arbitramur tamen veram et genuinam lectionem esse הוא *Ipsè*.
- 11) Caetera Vulgatam eius loci versionem tuebimur.
- 12) Hoc primum, sed obscurius de venturo Mundi Redemptore oraculum.
- 13) Angelorum creationis nullo loco meminit Moses; certo tamen jam die quarto fuerunt.



DEFENDENT
IN AULA PUBLICA THEOLOGICA

MANE AB HORA VIII -- X DIE MAJI 1774.

ORNATISSIMI, AC PERQUAM ERUDITI DOMINI

D. HENRICUS ZINGSHEIM, ex GRACH. AA. LL. ac Phil.
Magister.

D. CHRISTOPHORUS WRANGEL, DAUNENSIS. AA. LL.
ac Phil. Baccalaureus.

Ss. THEOLOGIAE AUDITORES.

OPPONENT

ORNATISSIMI, AC PERQUAM ERUDITI DOMINI

D. Franciscus Müller, Treuir. AA. LL. ac Phil. Magister, Ss. Ca-
nonum Auditor.

D. Petrus Gertz, ex Höhr. Semin. Archiep. ad S. Lambert. Alumn.

D. Melchior Müller, Hadamariae inferioris. Semin. Clem. ad S.
Joan. Baptist. Alumnus Praefectus.

D. Jacobus Genfer, ex Schwerdorf. AA. LL. ac Phil. Baccal.

OMNES Ss. THEOLOGIAE AUDITORES.



Augustæ Trevirorum, typis ESCHERMANNIANIS.

